

## 193

1709 April 26., Döttingen

A

ERKLAERUNG VON HANS JAKOB BRISACHER, FUER SEINEN SOHN DIE SCHUL-  
DEN BEZAHLEN ZU WOLLEN

---

"Ich endtz under schribner bekhene und sag das ich für Meinen sohn will be-  
zahlen das er dem Herren [alt] land Amen [B e a t J a k o b II.] Zurlauben  
schuldig ist nach lauth seiner rechnung.

ich Hans Jogli Brysacher beken wie obstat den ..."<sup>1</sup>

1) Das Dokument ist mit "Nr. 12" bezeichnet; s. AH 72/111, wo unter Pt. 12  
ebenfalls dieses Thema behandelt wird.

---

Original - AH 72, 439-440 - Blatt 439<sup>V</sup> und 440<sup>R</sup> leer

## 194

1730 August 16., Zug

A

REZESS UEBER DIE VISITATION IM DEKANAT ZUG<sup>1</sup>

---

"Celsissimi, et Reverendissimi in Christo Patris, ac Domini ... Joannis Fran-  
cisci [S c h e n k v o n S t a u f f e n b e r g] Dei, et Apostolicae Sedis  
Gratiâ Episcopi Constantiensis S.R.J. Principis Domini Augiae Maioris [=Rei-  
chenau], et Oeningae [=Oehningen], necnon Coadiutoris Dioecesis Augustane  
[=Augsburg] etc. Visitatores ... [Generalvisitator Josef Franz S c h o r n o  
und Franz Andreas R e t t i c h] R. Reverendis honorabilibus ... ac Doctissi-  
mis D. Dominis Decano [Beat Karl Anton Wolfgang W i c k a r t], Camerario,  
Sextariis; caeterisque Ruralis Capituli Tugiensis Parochis et Clericis salutem,  
et omne bonum cum insertorum notitiâ, et fideli executione.

Morum Emendationi, Virtutum incremento, et Stabiliendae Ecclesiasticae disci-  
plinæ ex Sacrorum Canonum praescripto, seu unico Episcopalis Visitationis  
fini pro incumbendis nobis officij ratione Sollicité intenti post peractam  
Ven: Capituli Vestri Visitationem, et eiusdem Statum perspectum Sequentia Man-  
data, ac Monita Vobis danda duximus, et damus per presentes.

1. Mandamus, et Serio in Domino hortamur, ut in id unicè intendant, quomodo  
placeant Deo, et Virtutibus verè Sacerdotalibus Semetipsos imbuant, ut com-  
missus Christianus Populus non tam verbo, quam Pastorum Suorum exemplo re-  
gatur; Jgitur

2. *Assuescant Sacerdotes, ut Somno statâ, et congruâ horâ abrupto corpus è Lecto, mentem autem ad Deum elevent, nec admittant negotijs profanis, et transitorijs, nec dicam inhonestis, et illicitis, ac Sic Carni, et Mundo diei primitias consecrari, sed â primâ Vigiliâ pijs cogitationibus immergi, factâ Oratione Vocali unum Saltem horae quadrantem Meditationi tribuant, et aliam Semihoram ad lectionem Spiritualem impendant, ut non tantùm ipsi Solida Virtutis fundamenta in se ipsis ponant, Verùm etiam hac ratione ad discursus Spirituales ex tempore formandos Sufficientem habeant materiam, ut in omni occasione Parochianis Suis, et aliis praesertim aegrotantibus in familiari colloquis Suavia Spiritûs Sancti charismata instillare, et ad Sectandam Christianam perfectionem movere possint.*
3. *Ut inter mundanos pulveres, qui faciunt etiam religiosa corda Sordescere, Spiritus non tepescat, recedant singulis annis in Solitudinem, et in domo quadam religiosâ, et si id difficile accidit, saltem in proprijs aedibus ab onnibus negotijs, et curis Saecularibus abstracti faciant per octiduum exercitia Spiritualia.*
4. *Cùm maximum Disciplinae Clericalis praeiudicium afferat, Actiones suas non praescripto ordine, sed tumultuario quodammodo peragere, prout Saepiùs monitum, et mandatum, ita denuò monemus, et mandamus, ut quilibet pro Loci, temporis, et Negotium ratione sibi praefigat aliquem Ordinem diurnum, certum, ac stabilem, eumque ita strictè custodiat, ut Successû temporis Superatâ iam omni difficultate, quae initio accidere solet, ex consuetudine ad Eius Observatiam quasi trahatur.*
5. *Ne Sacerdotum inscitiâ periclitetur Salus Animarum singulis diebus aliquot harae destinandae, et impendendae sunt studio morali casistico, et Polemico, ut ad casus in Sacramentorum administratione praesertim Confessionali occurrentes Solidè resolvendos, sint parati et instructi, ac Catholicae plebi non solùm verae fidei Rudimenta, et Articulos proponere, ac docere, verùm etiam fundamenta ex Sacris Litteris, et SS: Patribus deprompta, afferre, et adversantium technas, cavillationes, et argumenta detegere, confutare, ac reijcere possint, et valeant. In quem finem huius Capituli Clerum in certas Classes dividant, ac habitâ Locorum, et Distantiae ratione in mense bis, vel ter, aut si id ob ... nimiam distantiam difficilè accideret, saltem in anno sex vel octo vicibus conveniant ad faciendam Conferentiam super rebus moralibus casuisticis, et Polemicis huius Conferentiae Praesidem eligant Virum quemdam doctum, qui ad aliquod Tempus huic discussioni morali, et Polemicae praesit, illi deinde alium substituant, et sic inter Sacerdotes*

doctos, et idoneos praesidendo alternent, proponant autem materias practicas, et Casus in Confestionali, et Curâ animarum Saepius obvenientes, et abstinendo ab inutilibus Subtilitatibus, et clamorosis disputationibus per principia scientifica, et in praxi tuta Casus praepositos resolvant, ut Clerici doctiores habeant exercitium, et qui in studiis sunt minùs fundati, ita instruantur, ut Casus Conscientiae maiore Facilitate, et propitudine sciant discutere.

6. Erga Augustissimum Eucharistiae Sacramentum Sacerdotes ea utuntur, ut à populo Studeant observari Reverentiam, quae fidei, quâ Deum praesentem confitemur, correspondeat, itaque SS. Sacramentum non inchoato Solùm Reverentiae Signo, sed profundâ genûflexione adorent, in Sacristiâ, dum se ad celebrandum praeparant, et sacris iamiam se volunt inducere vestibus nullus praesumat confabulari, ceu certum mentis minus Compositae inditium: ubi portatur ad Infirmos, caveant, ne in comitatû inanes fiant discursus, et plebeiâ garrulitate Reverentia tanto Sacramento debita minuat, ad quos evitandum Studeant introducere Laudabilem morem iam in pluribus Locis receptum, ut comitantes Sanctissimum in accessû, et reditû ab aedibus infirmi publicè, et altâ voce recitent Rosarium, vel Litanias, aut cantent Hymnum aliamve Cantilenam de SS. Sacramento.
7. Sacerdotes ad celebrandum Missae Sacrificium, persolvenda officia divina, aut ad ministranda Sacramenta Ecclesiam accedentes, Semper sint vestiti veste thalari, et superpelliceo, ipsamque, vestem thalarem ab humeris usque ad thalos decentér claudant, nec permittant dictam vestem thalarem ad modum cuiusdam plallij indecentér volitare, utque maior vestitûs sacerdotalis observetur Decor super pellices albo ad modum in hâc Dioecesi communitér receptum. Superimponant collare nigrum, et itâ studeant se vestire, ut ab omni vanitate, et superfluitatibus abstinentes, decorum sui statûs, et Reverentiam functionibus Ecclesiasticis debitam, custodiant.
8. Ut Esurientibus panis Verbi Dei non deficiat singulis diebus Dominicis, et festivis faciant Concionem, alternando inter Cathechisticam, et Moralem, vel quod ad stimulandam Auditorum attentionem videtur magis conducere, in unâ concionis parte instruat in doctrinâ christianâ, alterâ Concionis parte excitetur ad virtutes sectandas, vel absterreatur à vitijs: Cathechesis autem Pomeridiana instruendae tam tenerae, quam adultae Juventuti maximòpere necessaria singulis diebus Dominicis fiat, et nunquam intermittatur, nisi ex urgente, et gravi cassâ, et ad eam frequentandam Juventus implorato etiam brachio Saeculari, et cum eius praescitû dictatâ levi

*multâ ad usum Ecclesiae applicandâ compellatur, in hunc finem Parochi Juvenes Parochiae suae exacté conscribant; ijsdemque Scamna in Ecclesijs assignent, ut absentes facilius notare, et negligentes corrigere valeant. Ubi magnus est Parochianorum numerus, ac Juventus valdé numerosa in Parochijs, in quibus sunt plures Beneficiati ad curam Animarum, et faciendam Cathechesin obligati saltèm tempore Adventûs, et Quadragesimae, si per totum Annum id facere nimis difficile accideret, in duas partes Juventutem Cathechizandam dividant, et in duabus Ecclesijs, vel Capellis eandam habitâ aetatis, et capacitatis ratione instruant.*

9. *Aegrotos praesertim pauperes, qui Parochi sui assistentia, et solatio maximé indigent, etiam non vocati, et iteratò visitent, eosdem S. Sacramentis non unâ tantùm, sed si longior sit aegritudo pluribus vicibus providentes.*
10. *In Ecclesijs, et Altaribus, à quibus omnis sordities debet esse remota, debitus nitor, et in purificatorijs Corporalibus, Mappis Altarium, omnibusque. Paramentis exacta observetur, mundities, ut si ob paupertatem fabricae nequeant esse pretiosa, saltem sit sordida Parochi, qui ad conservanda bona, et Jura Ecclesia praestiti Juramenti religione obligantur, maximo studio attendant, nec Proventus Ecclesiarum inutilitèr dilapidentur, aut ad Usus alienos quantumvis secundum Speciem pios, nisi Consensus Ordinarij accedat, applicentur."*

[11. fehlt!]

- "12. *Vacante quodam Beneficio, ad quod Communitati in Loco Jus Patronatûs competit, indecentissimum est, et gradi Sacerdotali prorsùs indignum, imò Animae periculosum, et illicitum, ut pro Beneficio Sollicitantes ad Omnes Parochianos ostatim circumcursitent, et varijs artibus, aedulationibus, pollicitationibus, de proventibus Ecclesiasticis stipulando, nova onera in se suscipiendo, aliorum competentium famam denigrando, excessus eorum manifestando, imò non rarò tales confingendo, non sine gravi aliorum iniuriâ, Cleri vilipendio, Beneficiorum diminutione, et multiplici commissae, vel committendae Simoniae periculo, Beneficia Ecclesiastica procurent, hinc ad hos abusos, et periculosas Beneficiorum occupationes tollendas strictim praecipiendo mandamus, ut pro vacantibus Beneficijs Sollicitantes desiderium suum aperiant, porrigendo Litteras toti Communitati praelegendas, et solùm primores, seu illos, qui sunt de Magistratû, accedant, et decente Modesticâ, ac gravitate sacerdotali pro vacantibus Beneficijs suas preces offerant; utque hoc nostrum Mandatum accuratè observetur D.D.*

Decanus, Camerarius, et Sextarij pro incumbētis ipsis officij ratione, alij autem Parochi ex Charitate, et displicinae Ecclesiasticae conservandae Studio invigilent, et si qui modo, et artibus praedictis praesertim cum novorum onerum, qua non rarò à Communitatibus contra Sacros Canones cum Beneficij Ecclesiastici diminutione imponi solent, in se suscipendorum factâ sponsione Beneficia piscari, et eadem adire non vereantur, illos absque morâ Reverendissimo officio Constantiensi denuntient, gravissimè puniendos, vel pro circumstantiarum qualitate à Beneficio ita, ut praemittitur, obtento arcendos, et repellendos.

13. Hospita, et popinas sub poenâ suspensionis ipso facto incurrendae dudum interdictas denuò interdicimus, et prohibemus, seriò monentes, ne praetextus cuiusdam necessitatis, vel honestitatis, in quibus solis hospitia accedere licet, temerè confingant, aedículas hortulanas prope hospitium, et illas, ubi vinum mensuratim promiscuè omnibus vendi solet, sub nomine hospitij, vel popinae indubitanter comprehendendi, et ijsdem, quibus hospitia peonis subiacere declaramus: Computationes itidem alias, ubi multi de plebe conveniunt, declinent, sed ipsimet clerici pro animi sui honesta relaxatione inter se, et cum viris gravioribus Laicis quantoque in loco honesto, et decente convenient, et servatâ semper clericali modestiâ se recreent: Sacerdotes, qui tempore matutino propinam, vel quamcumque alium domum commessandi, vel computandi gratiâ accedere non verentur, et illos, qui saepius crapulati probantur, non attento, an in vel extra suas aedes se nimio vino ingurgitent, Dominus Decanus totiès, quotiès duobus florenis helveticis mulctet, si tèt mulctati non resipiscant, fisco Episcopali denuntientur Carceribus in pane, et aquâ subeundis puniendi.
14. Frequentes Confabulationes in Nundinis, et plateis, vel sub publico quodam portû Clericis omnibus, ceu indecentissimum, et muliebri vitium gravissimè prohibitas volumus, et per Presentes prohibemus.
15. Parochi, et Sacerdotes, quibus Animarum Cura incumbit cum pastoralis Zelo invigilent, et concreditum sibi populum arguendo, et obsecrando in omni patientiâ, et doctrinâ brachium etiam saeculare implorando commoneant, ut dies Dominicas, et Festivas divina, et Ecclesiastica praecepta observando honorent, et ab omnibus laboribus servilibus abstineant: in dandis tamen licentijs diebus festivis colligendi faenum, vel cerasa, si longioribus pluvijs ingruentibus iustâ ex ratione petantur, non sint nimium difficiles, neque nimis faciles, sed consideratis temporum, et locorum circumstantijs discreti, maximè autem vicini Parochi studeant uniformitati, ne data in

*loco uno Licentia, et in altero denegata, fiat scandalosum murmur in populo, et Parochum inter, et Parochianos oriantur contentiones, et dissidia.*

16. *Demùm maturé considerantes, quantum Ecclesiae, et Disciplinae Ecclesiasticae praeiudicium afferat, si Clerici quos in sortem Domini vocator, ab omnibus curis saecularibus in Communitate, vel etiam inter personas privatas contentiosis sese immisceant, per praesentes omnibus et singulis Sacerdotibus, et Clericis, et cuilibet eorum districtim, et quidè̄m sub iuramenti fidelitatis, et obedientiae Celsissimo Ordinario, à quolibet eorum praestiti religione, ac sub poenâ suspensionis in contravenientes ferendâ, praecipimus, et mandamus, ut causis praesertim publicis, quae in laudabili Cantone Tugiensi de praesenti controvertuntur, nullus praesumat ullâ ratione se ingerere unam, aut alteram partem fovendo, Patrocinando, rationes alterutrius approbando, aut reprobando, minùs stimulando, vel ad lites prosequendas animando, sed omnes eâdem indifferente Charitate prosequentes, in id unicè̄ intendant, ut in publicis, et privatis colloquiis praesertim confessionali dissentientium animos (abstrahendo tamen à causae controversae meritis) reconcilient, vitia eliminent, virtutes plantent, et omnes ad servandam unitatem spiritûs in vinculo pacis coadunantes, Patriae tranquillitatem publicam, et veram concordiam restituere omnibus viribus satagant.*

*Huius Recessus, quem intra sex hebdomadarum spatium, ab omnibus describis mandamus, Executionem committimus, et demandamus DD. Decano Camerario, et Sextarijs conscientia eorundem desuper onerata. In quorum Fidem praesentes propriâ manû subscripsimus."*

Es folgen die Unterschriften von Franz Johann Anton [von S i r g e n s t e i n], Weihbischof und Generalvikar [von Konstanz], Bischof von Uthina - dieser weilte offenbar anlässlich der Visitation ebenfalls in Zug - sowie die der obgenannten beiden Visitatoren.

1) s. auch AH 72/154, 156

---

Kopie, wohl für den Benefiziaten der St. Konradspfründe in Zug, B e a t J a k o b A n t o n Zurlauben, bestimmt. - AH 72, 442-446